



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

8. Monotauri effegies Symbolum secreti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

veniant filum aut exitum. Quid enim sunt mortalium cogitationes *in-
mida & incerta providentia* Sap. 9. quàm cæcorum itinerum ambages,
&, ut Plinius loquitur, inexplicabiles occurfus & recursus, denique nul-
lius exitus, nisi per Ariadnen seu virtutem. Quis verò explicet, qua-
les ambages, quàm dubios viarum flexus in dictis suis, factis, pactis,
conventis implicent *Politici*; quot modos inveniant dicta indicta, facta
infecta reddendi, aut simulandi; quot ancipites dolos, & mille vijs in-
deprehenfas fallacias excogitent, idem affirmandi & negandi, & quæ
certa videbantur, dubio sensu suspendendi? Et quot in gravissimo,
periculosissimoque Religionis negotio sunt involutiones, perplexitates,
confusiones opinionum? Quàm multi cæcis errantes in orbem vesti-
gijs, ne Deum quidem ipsum in hoc Labyrintho inveniunt? Quàm
multi providentiam ejus inficiantur: quàm multi æternæ Veritatis dicta,
mandatæque vel in reprobum detorquent sensum: vel ab ijs morum pra-
vitate in exitium suum deflectunt, & circumvertuntur? De quibus o-
mnibus illud dici posset, quod vulpes de antro leonis: *vestigia terrent,
omnia introrsum spectantia, nulla retrorsum.* Nonne verum de his illud
Jobi 6. *Involuta semita gressuum eorum.* Et quod Psalter regius dixit
psal. 139. *In circuitu impij ambulat.* Quærit S. Augustinus in dictum
psalmum: Quid est circuitus ipsorum? ut circumcant & non stent: in
gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine; qui enim in longum it, aliunde
incipit, alicubi finit; qui in gyrum it, nusquam finit; ipse est labor
impiorum, ne quidem æternitatis cruciabilis circulo absolvendus. Eva-
sissent, si lumen Rationis, si Legem divinam, si judicium potiùs S. Ma-
tris Ecclesiæ, tanquam fidissimæ Ariadnæ, quàm sensum suum sequi vo-
luissent.

VIII. (1) Minotauri effigiem (quæ scilicet superiore sui parte
semivirum Centaurum cum clava, inferiore taurum referebat) inter sig-
na militaria Romanis ideò fuisse scribit Festus, quòd non minùs occul-
ta esse debeant consilia Ducum & Principum, quàm fuerit olim domi-
cilium Minotauri labyrinthus: idque vel maximè in bellicis expeditio-
nibus observari debet. Id noverat exactè Metellus Macedonicus, qui
sciscitanti cuidam ex amicis, qua ratione tam subito consilio uteretur:
Si ipsam, ait, vestem scirem consiliorum meorum esse consciam, eam
confestim abijcerem. Etenim *σύμβολος ἰερὸν ἐστὶ χρῆμα.* *Consultor res est
sacra.* Itaque Philippides Comicus, cùm Lysimachus ipsi dixisset, se
velle de suis aliquid rebus impertiri: Quidvis (inquit) ò rex, modò
ne quidpiam arcani. Vide Alciatum Emblemate XII. IX.

(1) *Minotauri effigies symbolum secreti.*